
130 621



QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,

Die Iovis 8. Martij.

M. PETRO LEGIER, Doctore Medico, Præside.

An Hydropotæ minùs Morbis obnoxij?

I.

CORPORIS humani temperies multiplex habetur, pro ætate, vivendi modo, regione, & primâ in utero conformatione. In puero blandior, annis prolabentibus sensim immutatur: In helluone quantumvis bona, fit deterior; Indorum aut Vrsæ accolarum plerumque calidior & frigidior. Et ubi Naturâ architectante corpus, nobiliori parti labes est impressa, ad ultimum vitæ exitum perseverat temperiei vitium. Optima censetur quæ æqualiter ab extremis distat. Verùm optatur tantùm, non obtinetur; vel si quandoque adfulgeat, effluit fulguris instar. Ab hac felicior quæ sibi sufficit, totamque vitam suis beat commodis, quæ Naturam nullo aut minimo excrementorum proventu infestat, & se sola ab occursantibus expedit. Sed quantumlibet salutaris illa sit, brevi à suâ integritate decidet, petitis à triplici Elemento cibis, & omni liquorum arte expressorum genere, qui aliam sæpius non

ſine periculo invehunt, ut manet incorrupta cum frugalitate, & maximè aquæ potu, qui bonæ temperiei optimus eſt conſervator.

II.

LIQVORES qui ad reſtinguendam ſitim naturali neceſſitate aſſumuntur, quia mobiliores citiùs expanduntur, & ſi quod contraxêre vitium, celeriùs ad partes tranſmittunt, ut & earum offenſiones felici mixtione minuunt, cùm quas Natura optat facultates, poſſident & exercent. Vt partes Naturæ inſtituto reſpondeant, aliquo humore debent madere, cujus beneficio nutriantur, augeantur, & quam edere natæ ſunt actionem adimpleant. Non omnis eſt liquoris ſic Naturę ſervire. Vt alienus ſemper caliditate excedit, & partes hebetiores languidioreſque reddit, tantum abeſt ut juvet, ita amicus & conveniens firmat quæ alluit membra, & primo humori conſocialis, jucundiùs permeat, faciliùſque inhæreſcit, quod Naturę votorum eſt ſumma. Quamobrem cautione non minùs neceſſariâ quàm ſalutari eligendus eſt potus, qui ſuâ familiaritate hæc præſtet bona. Ex liquoribus qui apud homines in uſu ſunt ad ſitim, unicum Natura præbet & ſuadet; alij bene multi in utroque mundo famoſi arti ſuam debent originem. Scilicet homines Naturam paucis contentam quaſi pauperrimam dedignati, voluptate premente, palato aquam faſtidiente, per machinas quæſierunt, quod ſibi deeſſe volebant.

III.

HYDROPOTÆ ut primò inſtitutam à Naturâ legem diligentiùs ſequuntur, ſic beatiorem & primi ſæculi hominibus dignam omnino protrahunt vitam. Cibus temperatus, potus ad frigiditatem inclinans eſſe debet, ut conſtituta temperies ſemper floreat. Enimverò etſi animalium corpora igne foveantur & vigeant, nec niſi in extremâ ſenectute frigiditate contabeſcant: attamen non tam arctè in primâ conformatione ignis aquâ contemperatus eſt, quin ille ſæpiùs ſuperior, quaſi effracto carcere, compactas carnes deureret, niſi aquâ velut compede retineretur. Vnde Natura quæ eò certior, quò magis neceſſariò agit, nullibi non humiditatem inſeruit, & circumfudit, ſacri ignis, ut olim Veſtarum erat munus, cuſtodem futuram. Hæc quia ſemper conſumitur,

ſemper reparari amat: & conſentientibus partibus, ſupremum ventriculi os, & fauces peculiari ſenſu, & ſicci & humidi renovationis argumenta dant manifeſta. Vtriuſque aſſumendi leges ex Naturâ habeantur. Nullus in diætâ error, nulla ad morbos occaſio, nec temperies ullo vitio inficitur, quod in parentem redundet, quippe quod hæc vitæ dux optima.

I V.

VBI humidi appetitus, an quicquam aptius præter aquam propinabis? Vis ſanus eſſe, & tutam ab omnibus morborum inſultibus vitam degere; ab igneis liquoribus abſtine, aqua tibi ſit in deliciis. Suaviùs quidem illi linguam & palatum commovent, ſed citò hanc voluptatem quamplurimis compenſant malis, pulſu elatiore febri maximè conſociali, membrorum laſſitudine, affluxu ad cavitatum alteram, graviſſimi affectus causâ; καρηβαρία modò antè, modò retrò; pleniori capite, nutantibus artubus. Aqua verò intùs non in ore ſua dona diſpenſat; cum ſitientibus viſceribus liberaliter adfuſa, mirum quantam concitat voluptatem, quantum robur & tonum ſuâ frigiditate & humiditate toti conferat corpori, ſine ullâ mali eventus expectatione. Namque cùm omnes ferè morbi à caloris exuperantiâ promanent, repagulis eget ille, non incentivo, frænis coërceri, non flammeis potibus ſuſcitari. Hos remediorum catalogo adſcribere quid vetat? numquid vinum ὕδωρ σαπέν, ubi fracto & debilitato corde, ubi exhauſtis ſpiritibus, de ultimâ compagis ſorte agitur, præſtantis cardiaci nomen ſibi vendicaret, niſi ſummâ hominum intemperantiâ id nominis jamdudum amiſiſſet? At vinum petitis? Sequanam habetis.

V.

NEC proinde abs re aqua ſoſpitalis nomine venit donanda, cùm minacem calorem ita contemperet, ut mutatâ vice quod erupturum erat in Naturam, illius leges denuó ſequatur. Gratioſi humoris fons, & ventriculus hocce amico rore perfuſi, ſua generoſiùs obeunt munia, nullo nidore palatum feriente, aut tuberculis faciem deturpantibus. Inteſtina tam jucundâ fruuntur lævitate, nihil ut extraneum contineant. ὕδωρ βοῤῥόν appetentiam excitat, ejus beneficio bilis ad producendos morbos promptior & paratior retun-

ditur ; ater ſuccus numquam familiaris, ſæpiùs infenſus ſuis qualitatibus ſævire prohibetur ; nec non per vias ſibi debitas excernitur. Humores craſſiores diluuntur, denſiores attenuantur, ſubtiliores condenſantur, omnes propriis vaſis continentur, nec in alicujus partis perniciem frigida eos effundi patitur, quippe iis coagulum. Hinc firmior greſſus, artus integri, benignior ſomnus, ſuavior anima, floridus faciei color, primum ſanitatis argumentum ; nec ullum inter partes divortium, ideò articuli qui maximè humorum decubitu affliguntur ſoſpites : nec piſces arthritide tentatos, vel in fabulis agnovit antiquitas : cæteræ corporis functiones illæſæ, vegetiores, dulci aquæ affuſione in dies evadunt ; φροντιστικαὶ actiones lucidiores, nullâ fuligine obſcurantur aut perturbantur. Vno verbo, optimam quam Natura conceſſit temperiem, ſartam tectamque propugnat ἄριστον ὕδωρ.

Ergo Hydropotæ minùs Morbis obnoxij.

Aſſerebat Pariſiis RAYMVNDVS VASLET, Engoliſmas, A. R. S. H. M. DC. LXVIII.

PARISIIS,
Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illuſt. Archiepiſcopi Pariſienſis Typographi.